



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De communicante cum excommunicato in crimine, ejúsque pæna & absolute.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

in opere criminoso, quod omnibus prohibicum sub pœna excommunicationis, neque cum his, eorūque iurisdictionem, quam nullam habent, implorando, sed in aliis negotiis tam divinis, quam politicis. Quartò licitam facit hanc communicationem ignorantia, si nescias scilicet, alterum excommunicatum vitandum, (quia in tali casu non adest contumacia) aut si dubites saltem, utrū alter excommunicatus sit, quia in dubio melior est conditio possidentis. Quintò denique licitam facit hanc communicationem, necessitas, sive vera indigentia, sive hæc ad animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad alia bona temporalia pertineat.

§. III.

De communicante cum excommunicato in crimine, ejusque pœna & absolute.

Communicamus cum excommunicato vitando in crimine criminoso, ut ajunt jura, (in crimine scilicet, ob quod excommunicatio in ipsum lata fuit) participando, scienter scilicet, cum eo in tali crimine, adjuvando illum, præstando illi auxilium, consilium, vel favorem circa hoc crimen, &c. & qui taliter communicat, majorem etiam excommunicationem incurrit, uti constat ex cap. *Nuper* 29. §. *in secunda verò quæst. h. t.* & cap. *Si concubina* 55. eod. qui faciens & consentiens participat à constringuntur, ut ait Pontifex in cit. cap. *Nuper*. Neque absolvi potest per se, nisi ab eo, qui alteram, cum quo communicat, excom-

municavit, aut hujus Superiore, & quidem præstito prius juramento, de parendo ejus mandato, nisi ob justam causam difficile esset ad excommunicatorem accedere, quo in casu concedit Pontifex, ut præstita cautione juratoriâ de parendo mandatis excommunicatoris, absolvantur à suo Episcopo, vel proprio Sacerdote, seu Parocho. Quòd si verò non in crimine criminoso, propter quod excommunicatus quis est, communicet aliquis cum tali excommunicato vitando, sed in aliis rebus tam sacris, quam profanis, orando v. g. cum illo, comedendo cum illo, &c. non incurrit hic talis majorem excommunicationem, sed tantum minorem, quæ à quolibet etiam simplici Sacerdote iurisdictionem ad abolitionem habente, sine alia præstita cautione absolvi potest, uti paulò post dicitur.

§. IV.

Quenam præterea statuta sunt de jure Canonico circa communicationem cum excommunicato.

Multa, quæ in hoc §. statuantur, & referuntur, ex jure antiquo petuntur, secundum quod omnes excommunicati vitandi sunt, etiam ab Episcopis aliisque Prælatiis Papa inferioribus, antequam absoluti fuerint, vel si fama sit aliquem esse excommunicatum, priusquam se purgaverit, quamvis excommunicatus talis pœniteat, & paratus sit satisfacere parti læsæ, vel etiam satisfecerit, & juraverit de parendo mandatis Ecclesiæ cap. *Cum desidero* 15. h. t. quæ, ut plura alia, utilius legentur apud Auth. Meth. quam ut hic sine necessitate referantur.